METILIA:

SIVE

DE GENTIS METILIÆ QUINARIO

DISSERTATIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

METILIA:


SIVE

De Quinario Gentis Metiliæ,

E NUMMIS VETUSTIS CÆTEROQUIN MINIMUM NOTÆ,

DISSERTATIO.

A JOANNE SWINTON, A. M.
ex Æde Chriſti *Oxon.* & R.S.S.



OXONII,
E THEATRO SHELDONIANO,
Impenſis JACOBI FLETCHER, Bibliopol. *Oxon.* MDCCL.

NAPOLI

Digitized by Google

Imprimatur,

J. PURNELL,

Vice-Can. OXON.

Aug. 30. 1749.

Digitized by Google



Ap. Joan. Swinton A.M. Oxonienſ. & R.S.S.

J. Mynde sc.

NAPOLI

Digitized by Google

METILIA:

SIVE

DE QUINARIO GENTIS METILIÆ, E NUMMIS VETUSTIS CÆTEROQUIN MINIMUM NOTÆ, DISSERTATIO.

I.

METILIAM gentem, cujus unicus hic nobis ſupereſt quinarius, plebeiam fuiſſe, ſatis conſtat ex Titi Livii autoritate, à quo Sp. Metilius A.V.C. 337. & M. Metilius A.V.C. 536. tribuni plebis memorantur. Duobus diſtinctam fuiſſe cognominibus contendit Pighius, in cujus faſtis ſæpius recitantur M. Metilius Nepos & T. Metilius Croto; licet poſterioris, cui cognomen Croto, ex veteribus nemo præter Livium meminerit. Unde nomen Metilius huic genti inditum fuerit liquido non patet; at à Mettiis, ſive Metiis, qui ex Lanuvio ortum traxiſſe è nummis ſuſpicari licet, videtur de-

ſumptum. Hoc enim diminutivum cenſendum à Metio, ſicut Lucilius à Lucio, Mæcilius à Mæcio, Petilius à Peto, de quibus plura Vaillantius & Sigonius. Ut ut eſt, republica in cunis vagiente, inclaruere Romæ Metilii, ſiqua fides tribuenda Pighio, qui M. Metilium tribunatus plebis munere A.V.C. 288. & ædilitate A.V.C. 290. arbitratur functum. Sed in hujuſce gentis orine indaganda non eſt ut diutius jam moremur. [1]

II.

Quod ad noſtrum quinarium attinet, nullus veterum nummus germanæ unquam antiquitatis certioribus indiciis claruit, nec ullus, ſi raritatem eximiam ſpectemus, in univerſo terrarum orbe inſignior habendus. Alterum enim Metiliæ gentis nummum, qui vel diligentiſſimis harum rerum exploratoribus innotuit, tota nobis, nî fallor, non ſuppeditavit penus antiquaria. Ideoque hujuſce ſolius ope familiis Romanis à veterum numiſmatis laudatis, & à Fulvio Urſino, Car. Patino, J. Vaillantio, ac And. Morellio undequaque conquiſitis, nova acceſſit. Ad ea autem quæ præ ſe fert quinarius ob oculos poſitus jam breviter excutienda noſmetipſos accingamus.

III.

Caput Jovis, hic conſpicitur barbatum & laurea redimitum, pone quod tres ſpicæ ex eodem tubulo: in averſa parte CROT,

1 T. Liv. lib. IV. c. 48. & lib. XXII. c. 25. Plutarch. in Fabio. Steph. Vinand. Pigh. annal. ad A.V.C. 336. tom. I. p. 196. Edit. Schot. Antverpiæ, 1599. & ad A.V.C. 536. lib. IX. p. 156. Antverpiæ, 1615. Liv. lib. XXIII, c. 31. Pigh. ubi ſup. lib. VIII. p. 120, 157. & alib. paſſ. Car. Sigonius apud J. Vaillant. in gent. Lucil. tom. II. p. 68. ut & ipſe Vaillant. ibid. & in gent. Mæcil. p. 79. in gent. Petil. p. 220. &c. Pigh. ubi ſup. lib. II. p. 121, 123. Antverpiæ, 1599.

in

in imo ROMA. Victoria coronat trophæum galeatum, cum thorace, clypeo, & binis haſtulis, ante illam erectum.

IV.

Non deſunt nummi, qui mera Romanarum familiarum exhibent cognomina, eaque in veterum ſcriptis ac monumentis parum nota, ut erudite monuit [1] illuſtriſſimus Spanhemius. Sic NAT, vel NATTA, nudum ſæpius oſtentant gentis Pinariæ denarii; TVRD, ſive TVRDVS, ſextans atque quadrans gentis Papiriæ; NASO ærei gentis Axſiæ nummi; &, ut alios taceam, Valeriorum denarii ACISCVLVS. Quibus omnino accenſendus noſter quinarius; cum quo complures alios, florente republica, Romæ percuſſos, & in eruditorum muſeis etiamnum aſſervatos, opere, forma, ac typo mirifice congruere, clare fatis [2] teſtantur Vaillantius & Morellius. Quare CROT, quod in averſo latere comparet, gentis Metiliæ fuiſſe cognomen, ambigendi non datur locus; præſertim cum T. Metilius, Ap. Claudii Pulchri, prætoris provincialis, qui Siciliam obtinuit A.V.C. 537. legatus, à [3] T. Livio CROTO diſerte appelletur.

V.

Ad Metiliorum igitur Crotonum familiam ſpectat hic quinarius, ut fert illius epigraphe; quis vero fuerit ille à litteris CROT

1 Ez. Spanhem. de præſt. & uſ. numiſmat. antiquor. diſſert. X. vol. II. p. 43--51. Amſtel. 1717. Vid. etiam Vaillant. & Morel. in gent. Pinar. Papir. Axſ. Valer. &c.

2 J. Vaillant. in gent. Aurel. num. 1. gent. Cloul. num. 2. gent. Cornel. num. 21. & num. 32. gent. Flamin. num. 3. gent. Fulv. num. 4. & num. 8. gent. Fundan. num. 1. gent. Licin. num. 8. & gent. Titur. num. 8. Vid. etiam Andr. Morel. in iiſdem gent.

3 T. Liv. lib. XXIII. c. 31.

deſignatus, ob prænomen in nummo prætermiſſum, difficile eſt reperire. T. Metilium Crotonem ad veterem exercitum accipiendum, deducendumque à caſtris Claudianis in Siciliam, poſt cladem Cannenſem, legatum ab Ap. Claudio fuiſſe miſſum perhibet [1] Livius. At notius eſt quam ut probatione indigeat, viros ingenio, virtute, probitate, ac majorum ſplendore præcellentes, per omnium magiſtratuum gradus, paulatim & ſueto Romanis more, ad ampliſſimos reipublicæ honores perveniſſe. Unde collegiſſe [2] videtur Pighius, hunc T. Metilium Crotonem quæſtorem provincialem fuiſſe A.V.C. 528. At quæſtorem tunc urbanum eum potius crediderim, cum hoc æquo ac pari jure exinde ſequatur, & à noſtro quinario, utpote Romæ ſignato, nonnihil roboris atque firmamenti mutuetur. Quo poſito, iſtum nummulum eodem anno cuſum licet exiſtimemus. Neque hoc ſane à rei veritate multum abhorret, cum inſignem à Gallis non procul Telamone in Etruria victoriam reportaverit conſul Æmilius, ob quam de illis triumphum egiſſe III Non. Mart. A.V.C. 528. teſtantur Marmora Capitolina. [3]

L. AIMILIVS. Q. F. CN. N. PAPVS. COS. AN. DXXIIX. / DXXIX. *Var.*
DE GALLEIS. III. NONAS. MART.

VI.

Quod ſi lectoribus minus arrideat hæc ſententia, quare noſtrum quinarium à T. Metilio Crotone ad veterem exercitum accipiendum, deducendumque à caſtris Claudianis in Siciliam,

1 T. Liv. lib. XXIII. c. 31.

2 Steph. Vinand. Pigh. in præfat. ad lector. & in annal. Roman. ad an. DXXVIII.

3 Faſt. magiſtrat. Romanor. in theſaur. antiquit. Roman. à Joan. Georg. Græv. congeſt. tom. XI. p. 227.

A.V.C.

Digitized by Google

A.V.C. 537. legato ab Ap. Claudio miſſo, non ſtatuamus percuſſum? Nemo enim neſcit legati, vel (*a*) prætoris legati, cognomen [1] in nummis identidem conſpici, quin & ei, vel quæſtori, conceſſam fuiſſe monetæ cudendæ poteſtatem; quæ & Vaillantius ac Spanhemius operibus ſuis ſparſim edocent. [2] Prætoris etiam legati, vel quæſtores, profecturi in provinciam, ſiqua Vaillantio fides, vel ad milites ſolvendos, vel ad ipſorum impenſas,

(*a*) T. Metilium Crotonem, prætoris legatum, ſive proprætorem, ad regendam Appii Claudii provinciam, ad jus ibi dicendum pariter ac gerendum bellum, juxta Spanhemii (1) atque Sigonii mentem, in Siciliam miſſum, hic viſum eſt ſtatuere. Quod ſi res militaris ab eodem legato tantum fuerit adminiſtrata, nil mirandum, ejus memoriam ad noſtrum uſque ſeculum à nummulo argenteo ſervari; cum Manii Fonteii, tribuni militum, meminerit gentis Fonteiæ denarius, à celeberrimis antiquariis ſæpius in lucem datus. (2)

(1) Ezech. Spanhem. de præſtant. & uſ. numiſmat. antiquor. diſſertat. decim. tom. II. p. 174, 175. Amſtelædami, 1717.

(2) Fulv. Urſin. familiar. Romanar. num. à Car. Patin. edit. p. 114, 115. Pariſiis, 1663. J. Vaillant. num. antiqu. familiar. Romanar. perpet. interpretat. illuſtrat. tom. I. p. 447, 448. Amſtelædami, 1703. Andr. Morel. theſaur. numiſmatic. à Sigebert. Havercamp. edit. p. 183, 184. Amſtelædami, 1734.

1 J. Vaillant. num. antiqu. familiar. Romanar. perpet. interpretat. illuſtrat. tom. I. p. 193. tom. II. p. 298, 299. Amſtelædami, 1703. And. Morel. theſaur. numiſmat. à Sig. Havercamp. edit. & comment. perpet. illuſtrat. p. 52, 352, 353, & alib. Ezech. Spanhem. de præſt. & uſ. numiſm. antiquor. diſſert. decim. tom. II. p. 176---181. Vid. etiam J. Vaillant. in præfat. p. 4. tom. I. p. 286, 287, & alib. paſſ. Sig. Havercamp. ubi ſup. p. 52. l. 57, 58. p. 99. l. 64, 65, & alib. paſſ.

2 J. Vaillant. ubi ſup. in gent. Porc. num. 6. tom. II. p. 298, 299. in gent. Licin. num. 8. tom. II. p. 34. in gent. Quinct. num. 3. tom. II. p. 326. & in gent. Titur. num. 1. tom. II. p. 478.

argenteos

Digitized by Google

argenteos nummos nonnunquam (*a*) Romæ ſignandos curavere; præſertim quùm in provincia, quam adminiſtrabant, bellum erat exortum. Quandoquidem igitur bello flagrare [1] cœpit Sicilia A.V.C. 538. & T. Metilius Croto exercitui in provincia Claudiana, ut credere fas eſt, abſente Ap. Claudio, tunc temporis præfuit, veriſimile admodum videtur, hunc quinarium A.V.C. 538. vel ſequente anno, quo legato imperium forſan erat prorogatum, ab eo, aut à quæſtoribus urbanis, Romæ fuiſſe cuſum. Victoriam etiam à T. Metilio Crotone partam, vel ſaltem hoſtes ab eo fugatos, A.V.C. 538. indicare potuit, tametſi hujuſce belli initii hiſtoriam nobis tantum non denegavit veterum autorum inopia. "Præmiſſos enim Hippocratem atque Epicydem cum binis mil-"libus armatorum ad tentandas urbes, quæ præſidiis tenebantur "Romanis," A.V.C. 538. retulit Livius. [2] At Syracuſanos harum aliquam expugnaſſe, vel in deditionem recepiſſe, nullus nos certiores fecit hiſtoricus; immo magnam Siciliæ partem A.V.C. 538. à Romanis ſubactam memoriæ prodidit [3] Zonaras. Quid

(*a*) Hac in re à ſcopo non plurimum aberraſſe (1) Vaillantium, quin potius lapſum fuiſſe (2) Havercampum, quod ſæpius contigit, putaverim. Ille enim ex M. Catonis proprætoris, vel in Africa vel in Sicilia, denario, in anteriore cujus parte vox ROMA cernitur inſcripta, æquo ſatis jure collegit, proprætorem, vel prætoris legatum, in provinciam iturum, interdum curaſſe ut Romæ moneta ſignaretur; Hic vero nomen ROMA cum alterius ibi partis vocabulo VICTRIX minus apte connectit. Etenim LEGENDAM pro INSCRIPTIONE, & viciſſim INSCRIPTIONEM pro LEGENDA ſumi, quod hic aperte ſibi concedi poſtulat Havercampus, ei ægre largientur rei nummariæ antiquæ periti.

(1) J. Vaillant. num. antiqu. familiar. Romanar. perpet. interpretat. illuſtrat. tom. II. p. 298, 299. Amſtelædami, 1703.

(2) Theſaur. Andr. Morel. numiſmatic. à Sig. Havercamp. edit. p. 352, 353. Amſtelædami, 1734.

1 T. Liv. lib. XXIV. c. 7.
2 Idem. ibid.
3 Joan. Zonar. annal. tom. I. p. 423. Pariſiis, 1686.

igitur

igitur prohibet quo minus A.V.C. 538. vel ſequente anno, ob fuſos atque fugatos à T. Metilio Crotone Syracuſanos, aut in Claudii aut Manlii provincia, noſter quinarius ab ipſo legato, vel à quæſtoribus urbanis, vel à triumviris demum menſariis monetalibuſve, Romæ ſignaretur? Hoc ſane rerum Romanarum ſcriptoribus adeo non repugnat, ut iis mirifice conveniat, ut iis maxime conſentaneum, jure merito, exiſtimemus.

VII.

Vaillantius autem hujuſmodi quinarios ad monetæ ſolummodo uſum, & fere ſemper, non in alicujus victoriæ monumentum, arbitratur percuſſos. At hac in re ſibi minus conſtat [1] Vaillantius; quin [2] & aperte Plinio adverſatur. Non eſſet igitur forſan unde conquereremur, ſi ejus ſententia, tanquam futilis ac inanis conjectura, ab eruditis repudiaretur. Nihil tamen hac de hypotheſi decerno; rectene an ſecus fecerit Vaillantius penes antiquarios ſit judicium.

Nequis vero hoc temere nimis à me dictum arbitretur, ipſa Vaillantii verba jam in medium liceat proferre. [3] "Antiquarii, "inquit, obſervant victoriatos omnes eundem typum, nempe Vi"ctoriam trophæo imponentem, exhibere, unde illis nomen; & "omnes eſſe quinarios, ad monetæ tantum uſum, & fere ſem"per, non in alicujus victoriæ monumentum, percuſſos." Hinc abunde conſtat, hujuſmodi quinarios, judice Vaillantio, vix unquam in victoriæ alicujus monumentum percuſſos; necnon eundem Vaillantium eos pro victoriatis ut plurimum, ſi non perpe-

1 J. Vaillant. num. antiqu. familiar. Romanar. tom. I. p. 159, 186, 187, 439. collat. cum tom. II. p. 34, 481. Amſtel. 1703.

2 Plin. nat. hiſt. lib. XXXIII. c. 3.

3 J. Vaillant. tom. II. p. 34. in gent. Licin. num. 8.

Digitized by Google

tuo, accepiſſe. At alibi hic [1] autor aſſerere haud veretur, "vide-"ri Victoriam in quinariis non ſine cauſa adhiberi:" immo ex undenis, quos vulgavit, noſtri conſimillimis quinariis, omnes, excepto uno, aut ad ſummum altero, in alicujus pugnæ vel victoriæ memoriam ſignatos ingenue confitetur. Hac igitur in re ſecum plane pugnare Vaillantium agnoſcamus neceſſe eſt.

Sed neque verum eſt, "victoriatos omnes eundem typum, "nempe Victoriam trophæo imponentem, exhibere." Victoriatos enim non Victoria coronam trophæo imponente, ſed (ſola) Victoria ſignatos, qualem in averſo latere oſtendunt nonnulli gentis Porciæ, ſive potius M. Catonis, nummi, liquido evincunt [2] Plinius & Harduinus. Neque tam priſcam produnt vetuſtatem victoriati, cum lege Clodia, A.V.C. 695. lata, [3] primum percuſſos tradit Plinius. At altius aſſurgit non ſolum is, de quo nunc agitur, quinarius, ſed & alter penes me, quem antiquiſſimæ in averſa parte literarum formæ, (Vid. num. II. p. 6.) pariter ac typus ſimpliciſſimus, certiſſima ſane vetuſtatis indicia, qualia in primis fere argenteis, cum ſola epigraphe ROMA, cernuntur nummis, ante A.V.C. 500. ut opinor, ſignatum arguunt. Hos itaque à victoriatis ſatis diſcrepaſſe, & multo ante A.V.C. 695. quo id genus moneta Romæ cudi cœpta, prodiiſſe, haud ægre fatendum.

Porro, ab inſtituto noſtro non erit alienum, [4] Vaillantium ſibi parum conſentientem hic iterum notare. "Dices, inquit, memi-"niſſe M. Tullium Ciceronem triumvirorum monetalium, adeo-

1 J. Vaillant. tom. II. p. 34. in gent. Fulv. num. 3. tom. I. p. 457. Vid. etiam Vaillant. in gent. Aurel. num. 1. gent. Cloul. num. 2. gent. Cornel. num. 21. & 32. gent. Flamin. num. 3. gent. Fulv. num. 4. & 8. gent. Fundan. num. 1. gent. Licin. num. 8. & gent. Titur. num. 8.

2 Plin. ubi ſup. & Harduin. in loc.

3 Iidem. ibid. Sam. Pitiſc. lex. antiqu. Roman. tom. II. p. 48, 47.

4 J. Vaillant. ubi ſup. in præfat. p. 5. & in gent. Carv. num. 3. tom. I. p. 237. Amſtelædami, 1703.

Digitized by Google

" que ſingularem eum magiſtratum fuiſſe. Ego vero libens id " conceſſerim; ſed non ante Julii Cæſaris dictaturam, quo tem- " pore quùm plures haberet Julius, quod de ſe in bello civili be- " ne meritos vellet aliqua mercede compenſare, illam dignitatem " excogitavit, ut quoniam datum ſibi eſſet à ſenatu ut imagine " ſua nummi ſignarentur, vocaret velut in tanti honoris partem " triumviros monetales, qui ex averſa parte nomina ſua inſcribe- " rent." Et tamen " Q. Ogulnium, Q. F. Q. N. T. Verginium, " A. F. A. N. & Sp. Carvilium, Sp. F. C. N. ſimul triumviros " monetales fuiſſe circa A.V.C. 510." (ducentis ante Julium Cæſarem occiſum annis) diſerte affirmat. Quæ plane ἀσύςατα ſimul immota ſtare nequeunt. Sententiam vero poſteriorem, cui ſuffragatur etiam V. C. [1] Sig. Havercampus, ut longe potiorem, amplectentur eruditi.

VIII.

Si noſtrùm nummulum ab ipſo T. Metilio Crotone Romæ velimus percuſſum; ineunte anno V.C. 539°. eum prodiiſſe, prorogato eidem legato imperio, utcunque hoc effugerit [2] Pighium, oportet concedamus: neque à vero multum abludere hanc ſententiam facile ſuſpicemur, cum munus prætorium in Sicilia A.V.C. 539. Appium Claudium, cujus ibi partes A.V.C. 537. [3] ſuſtinuit T. Metilius Croto, præſtitiſſe, nos edocuit [4] T. Livius. Sin A.V.C. 538. Romæ malimus cuſum; quæſtores urbanos eum, ſub finem anni, ſignaſſe, T. Metilio Crotone in Sicilia tunc

1 Andr. Morel. theſaur. numiſmat. à Sig. Havercamp. edit. p. 76. Amſtelædami, 1734.

2 Steph. Vinand. Pigh. in annal. Roman. ad A.V.C. 539. lib. IX. p. 171. Antverpiæ, 1615.

3 T. Liv. hiſt. Rom. lib. XXIII. c. 31.

4 T. Liv. hiſt. Rom. lib. XXIV. c. 27, 29, 33.

Digitized by Google

temporis, ut par eſt credere, cum hoſtibus belligerante, nobis potius affirmandum: huic enim conjecturæ haud parum favet [1] T. Livius, pariter ac T. Livio conſentiens [2] Joannes Zonaras, ut in hac diſſertatione [3] alibi dictum.

IX.

Quandoquidem igitur ad T. Metilium Crotonem ſpectare videtur nummus hic in medium allatus, nullus dubito quin vel A.V.C. 528. vel, quod magis ſentio, A.V.C. 538. aut 539. fuerit ſignatus. Si A.V.C. 528. prodierit, tres ex eodem tubulo ſpicæ ingentem immanemque prædam, ex [4] Boiorum agris à L. Æmilio conſule hoc anno in urbem comportatam, forſan denotant; ſin vero A.V.C. 538. aut 539. pro nota atque ſymbolo Siciliæ, utpote frugum feraciſſimæ, haberi poſſunt. Nemini enim non liquet, tres ſpicas [5] ad hanc inſulam, ſive potius frumenti in ea abundantiam, indicandam in nummis identidem exhiberi; unde facili opera colligatur, noſtrum quinarium vel à T. Metilio Crotone, Appii Claudii in Sicilia legato, ad belli Siculi uſum, vel à quæſtoribus urbanis, in ejus honorem, A.V.C. 538. aut 539. Romæ percuſſum. Huic ego opinioni lubens aſſentior, cum [6] Livii ac Zonaræ teſtimonia ei etiam fidem, ut ſuperius annotatum, adſtruere videantur.

1 T. Liv. hiſt. Rom. lib. XXIV. c. 7.
2 Joan. Zonar. annal. tom. I. p. 423. Pariſiis, 1686.
3 Vid. ſup. p. 12.
4 Polyb. & Diod. Sic.
5 Beger. Spanhem. Vaillant. Morel. &c. paſſ.
6 T. Liv. lib. XXIII. c. 31.

X.

Digitized by Google

X.

Non ignoro, fateor, quendam M. Metilium quæſtorem fuiſſe creatum circa [1] A.V.C. 724. ex inſcriptione antiqua, à Jano Grutero in lucem data, elici poſſe; at hunc nullo pacto nummulum noſtrum argenteum cudiſſe, plane perſuaſum habeo. Non ſolum enim cognomen CROTO nuſquam oſtentat illa inſcriptio, quod ad alium pertinuiſſe hunc quinarium argumento eſt, ſed & extra omnem dubitationis aleam hoc ponunt ipſius quinarii fabrica, typus, & cælatura. Antiquitatem enim redolent ſuperiorem, ac propterea M. Metilium, à dicta inſcriptione memoratum, uno vel altero ſeculo anteceſſiſſe oportet autumemus. Rectius igitur longe & veriſimilius opinari licet, noſtrum nummum vel T. Metilio Crotoni, vel quæſtoribus urbanis, eo Appii Claudii in Sicilia legato, tribuendum, præſertim cum [2] C. Flaminii alioſque hujus ævi quinarios abunde referat. Vaillantium vero de his fuſius agentem adeant lectores eruditi, qui vel plura huc ſpectantia deſiderant, vel ea antiquitatis indicia à me jam adducta ab autoribus fide dignis minus firmata ſuſpicantur.

XI.

Superius autem obſervata, utcunque bonis ſcriptoribus ac nummis ſuffulta, in dubium vocare forſan cenſeatur [3] vir doctiſſimus Arnoldus Drakenborchius Ultrajectinus, J. V. D. hiſtor. & eloquent. in patria profeſſor. Illo quippe judice, "duplex apud

1 Jan. Gruter. corp. inſcript. ex recenſ. & cum adnot. Joan. Georg. Græv. tom. I. par. 2. p. 299. Amſt. 1707.

2 J. Vaillant. ubi ſup.

3 Arn. Drakenb. in adnot. ad Liv. lib. XXIII. c. 31. Vid. ejus nuper. edit. Liv. tom. III. p. 774. §. 6. Amſt. & Lugd. Bat. 1740.

Digitized by Google

" Romanos gens fuit Mæciliorum & Metiliorum. Ex qua vero, " inquit ille, hic memoratus (T. Metilius Croto) deſcenderit, " dubium facit codicum diſſenſus." Dubitandi anſam dedere perpauci codd. MSS. Liviani, in quibus *Ti. Mæcilius Croto*, & *T. Mecilius Croto* leguntur. In codd. MSS. Florent. & Lov. 2. invenitur *Ti. Mæcilius Croto*, referente Drakenborchio; in codd. vero MSS. Voſſ. & Lov. 4. *T. Mecilius Croto*. Quod ad poſteriores attinet codices, omnibus fere aliis exemplaribus eos conſentire facile crediderim; cum literæ C & T, utpote [1] ante vocalem I admodum cognatæ, in codicibus manuſcriptis, iiſque vetuſtioribus, inter ſe invicem ſæpius permutantur, ac promiſcue uſurpantur: quod ad priores, cod. MS. Flor. autoritatem minus valere in tertia quam prima decade Liviana, ipſe ſatis [2] innuit jam laudatus Arnoldus Drakenborchius; cod. MS. Lov. 2. vero antequam prodiit nupera Livii editio [3] Drakenborchiana, eruditis parum notus, in occulto latuit, ideoque de ejus fide & integritate nihil nobis hic dicendum. Pro firmo igitur ratoque habeatur, MECILIVS & METILIVS idem nomen, eandemque prorſus gentem, nempe Metiliam, quod ex [4] nummis ac inſcriptionibus itidem conſtat, hic deſignaſſe; quo conceſſo, non niſi duo nobis ſuperſunt codd. MSS. Liviani, iique vix inter præſtantiores ac integriores habendi, in quibus hic reperitur MAECILIVS. At hos, quorum haud permagni fortaſſe momenti putandum teſtimonium, cum aliis quam plurimis optimæ fidei codicibus, om-

1 Ad. Littlet. in diſſertatiunc. ſub init. lit. C. Sam. Pitiſc. lexic. antiquitat. Roman. tom. I. p. 306. tom. II. p. 888.

2 Arn. Drakenborch. in epiſt. ad lect. ſub init. tom. I. edit. Liv. Amſt. & Lugd. Bat. 1738.

3 Idem in dedicat. ſub fin.

4 J. Vaillant. Andr. Morel. & Sig. Havercamp. in num. gent. Mæcil. Jan. Gruter. corp. inſcript CDXXXIII. 3. CDLXV. 1. DCXLVI. 1. CDLV. 1. DCCXXXIV. 2. DCCXLV. 9. CCXCIX. 1, 2.

nibus

nibus cæteris Livii exemplaribus, quis ſanus unquam criticus contulerit? Neque facile hoc patitur TVLLVS, cognomen unicum Mæciliæ genti à nummis [1] & Romanis ſcriptoribus inditum. Si ullus porro hac de re diſceptandi eſſet locus, quo pacto acutiſſima & plane divina Caroli Sigonii ac utriuſque Gronovii, qui Livianos omne genus codices undique conquiſiverant, ut alios viros egregios de Livio præclare meritos, & in arte critica verſatiſſimos, prætercam, ingenia potuit effugere? His demum accedat obſervatio, nequaquam, uti ſpero, improbanda: [2] Livium nempe & Plutarchum Metilios ſatis amplos honoris, dignitatis, atque potentiæ gradus Romæ eſſe aſſecutos circa A.V.C. 538. aperte nos edocuiſſe; Mæcilios vero iſtius ætatis ſilentio prorſus tranſiviſſe. Unde, nî fallor, omnino perſpicuum fit, non *Ti. Mæcilius Croto*, ſed *T. Metilius Croto*, prout pene cuncta ejus loquuntur exemplaria, ipſum Livium edidiſſe.

XII.

Ex dictis liquet, Joannem Glandorpium, Samuelem Pitiſcum, alioſque viros egregios, eruditæ antiquitatis peritiſſimos, Metiliam gentem pro Mæcilia perperam [3] accepiſſe. Duplicem enim Mæciliorum & Metiliorum apud Romanos fuiſſe gentem, diſertis verbis affirmat [4] ipſe Drakenborchius, Livii autoritate nixus. " Sp. Mæcilii quartum & Sp. Metilii tertium tribunorum plebis,

1 Valer. Max. apud J. Vaillant. tom. II. p. 73. Vide etiam Vaillant. & Morel. in gent. Mæcil.

2 T. Liv. lib. XXII. c. 25. & lib. XXV. c. 22. Plut. in Fab.

3 Sam. Pitiſc. lexic. antiquitat. Romanar. tom. I. p. 858. Leovardiæ, 1713; Joan. Glandorp. onomaſtic. Roman. p. 603, 604. Francoſurdi, 1589. Onuphr. Panvin. de nomin. Roman. in theſ. ant. Rom. à Joan. Geor. Græv. congeſt. tom. II. p. 2004.

4 Arn. Darkenborch. ubi ſup. tom. III. p. 774. §. 6.

"qui

"qui A.V.C. 337. turbatores vulgi erant," fuſa narratione meminit celeberrimus ille hiſtoricus; ac proinde Mæcilios à Metiliis manifeſto ſecernit. Huic ſuffragantur ſex vel ſeptem inſcriptiones [1] antiquæ apud Gruterum, ut & [2] gentis Mæciliæ nummi ac noſter quinarius. Immo his omnibus adſtipulantur [3] ipſi codices MSS. Flor. & Lov. 2. licet TI. MAECILIVS CROTO ubi ſupra legendum ſiſtant. Quibus probe cognitis, nobiſque penitus perſpectis, Mæciliæ Metiliæque gentium pro certa & indubitata habeamus diſtinctionem; quod animadvertendum duxi, tum ne errori late ſparſo non ſatis occurreretur, tum ne aliquid notatu dignum, huic gentis Metiliæ quinario, quem plurimi facient antiquarii, explicando inſerviens, à me prorſus intactum relinqueretur.

XIII.

Cognomen CROT, ſive CROTO, quod etiamnum ſervat noſter quinarius, ſemel apud [4] Livium tantum occurrit. Hujus autem in cæteris rerum Romanarum ſcriptoribus nec vola nec veſtigium. Quinimo nulla inſcriptio, nullum, dempto noſtro, antiquorum numiſma, nullum denique hoc præ ſe fert vetuſtatis monumentum. Nonnihil igitur lucis donat Livio inſignis jam memoratus quinarius, & ipſe à ſcriptore illo præſtantiſſimo viciſſim illuſtratur.

1 Jan. Gruter. corp. inſcript. CDXXXIII. 3. CDLXV. 1. DCXLVI. 1. CDLV. 1. DCCXXXIV. 2. DCCXLV. 9. CCXCIX. 1, 2.

2 J. Vaillant. Morel. & Havercamp. in gent. Mæcil.

3 Codd. MSS. Florent. & Lov. 2. Livian. in lib. IV. c. 48. & lib. XXIII. c. 31.

4 T. Liv. lib. XXIII. c. 31. Vide etiam Arn. Drakenb. nuper. edit. Liv. tom. 3. p. 774. §. 6.

XIV.

Digitized by Google

XIV.

Qua vero de cauſa ex gentis Metiliæ ſtirpibus una Croto fuerit vocata, aut unde Metilii Crotones id cognominis primum traxerint, utpote nobis plane incognitum, diſceptandi hic non datur locus. Notatu tamen haud indignum, vocabulum CROTO, quantum ego opinione auguror, è Græco fonte, ſicut aliquammulta notiora Romanorum cognomenta, in O deſinentia, principio emanaſſe. Iſtiuſmodi ſunt [1] MATHO à voce Græca μαθῶν aperte deductum, [2] MOLO à μόλων, [3] OTHO ab ὠθῶν, [4] PHILO à φιλῶν, ut id genus omittam alia, quæ in nummis conſpiciuntur; licet quamobrem, aut unde, hæc cognomina ampliores & honeſtiores Romanorum familiæ ſibi delegerint, eruditos, ut probe norunt antiquarii, omnino lateat. Sic pari prorſus ratione CROTO à κροτῶν, i. e. [5] *pulſans*, [6] *verberans*, [7] *plaudens*, [8] *cum plauſu manus collidens*, [9] *complodens*, [10] *&c.* tanquam fonte ſuo, videtur fluxiſſe; etſi quid initio genti Metiliæ tale cognomen aſſumendi dedit occaſionem, hodie, propter veterum hiſtoricorum penuriam, eſt incompertum. Hoc autem cognomentum, vel huic ſaltem ſimillimum, Romanis antiquitus non fuiſſe igno-

1 J. Vaillant. ubi ſup. tom. II. in gent. Pompon. p. 275.
2 Idem ibid.
3 J. Vaillant. ubi ſup. in gent. Salv. tom. II. p. 352.
4 J. Vaillant. ubi ſup. in gent. Vetur. tom. II. p. 533.
5 Plutarch. de educ. puer. & Diogen. Laert. in Platon.
6 Iidem ibid.
7 Xenoph. anabaſ. & Athen. deipnoſoph. lib. II.
8 Iidem ibid.
9 Xenoph. & Athen. ubi ſup.
10 Vid. Hen. Steph. theſaur. Græc. ling. tom. II. p. 454.

tum,

Digitized by Google

tum, ſuaderet ſatis ipſe [1] Martialis, ut & [2] binæ inſcriptiones apud Gruterum, vel ſi CROTO neque à noſtro exhibitum eſſet nummo, neque [3] apud T. Livium repertum.

XV.

Hæc fere dicenda habui de unico, ut credere par eſt, adhuc ſuperſtite, Metiliæ gentis nummo. Quæ ſi arrideant eruditis, ac potiſſimum iis qui rei nummariæ antiquæ callentiores merito exiſtimantur, erit unde mihi plurimum gratuler; ſin minus, non unde graviter conquerar, cum ea non alia ego mente publici juris fecerim, quam ut Romanæ familiæ nummum ſingularem, hactenus ineditum, & bis mille propemodum annos omnino latitantem, cum literato orbe plenius communicarem. Si igitur operam & oleum non prorſus perdidi, virorum clariſſimorum J. Vaillantii & Sig. Havercampi *interpretationes* atque *commentarium* me aliquantulum auxiſſe confido.

1 M. Val. Martial. epigram. lib. VI. ep. 39. p. 325. edit. Vincent. Colleſſ. Pariſiis, 1680.
2 Jan. Gruter. corp. inſcript. DCCCXLVII. 9. MCXVIII. 1.
3 T. Liv. lib. XXIII. c. 31.

F I N I S.

Erratum.

Pag. 7. *l. penult. pro* qui *lege* quos.

VA1 1535606

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google